-2

2

JENNERO.



Flebilis in terrâ, cœli nunc fulgidus hospes!

GANDÆ, TYPIS J.-N. HOUDIN.

1824.

pag. 12 v. 1 coli lege: colo
Illustri collegio medico Londinensi, e parte
auctoris Carmb

JENNERO.

ARBITER excelsus justâ qui frenduit irâ,
Flagra bonus rumpit, succedere munera pœnis
Præcipit, et blando conspectat lumine terram.
Sic quoque post strages pacalis oliva cruentas
Germinat, et populis solantia brachia tendit.
Poscite nunc citharas et carmina fundite, vates,
Orpheus ipse reget festi modulamina cantûs;
Hoc duce (namque moræ nulla est patientia) dicam :
Ecquo Jennerus cantamine dira venena
(Attonitum unde lues pervaserat ignea mundum)
Vicerit, et Stygios occludere nôrit hiatus,
Quà fuit acta diù terrena propago sub umbras.

Terror seu luctus (1) posuêre altaria primi,
Promeritoque caret, caret alma scientia cultu;
Frustrà Hygiæa (2) suos, ah frustrà implorat honores,
Nec laus æqua viro, quem sæcla futura stupebunt;
Illius, ô Musæ, donum immortale silentes
Cernere vos pudeat, cœlesti plaudite dono.
Marmor et æs, diros Martis celebrare furores
Sat modò cura fuit, quæ vos oblivia captant?
Terrigenûm saltem meminisse decebat amicum,
Nec lethum toties qui vicit, tradere letho.

E Lybicis olim tenebris (3) fanatica et atrox
Europen vis incurrit, deliria secum
Portans, quæ ferro sanxit Mahometus (4) et igne.
Impia prostravit Gonsalvius agmina victor,
Ast liquêre malum Bellonæ tristius irâ,
Quò pridem pollutus Arabs maculaverat Afros;
Post Siculos et Sardoos adrepsit Iberis
Tartareum combusta furens per viscera virus,
Pestiferoque diù gentes conterruit æstu (5).
Implorata feram compescere numina pestem
Non voluêre; Venus frustrà solamen opemque
A patre poscebat, gemitu poscebat amaro.
Euphrosine cum matre, Thalia et Aglaja precatæ
Deturbata tremore et fletibus ora gerebant,

Ambrosias angor malas sulcârat acutus.
Ædibus in liquidis, frondosa per atria nymphæ
Singultim socios sonuêre per æthera quæstus.
Hæc contra immotus genitor non ora reflexit.
Ulceribus, sanieque decus juvenile peribat,
Obstabatque occulta mali natura medelis;
Intereà ad stragem facilis ridebat Avernus.
Lurida mortis adhuc animos exterret imago:
Sæpiùs occumbunt proceres, morosa bubulcis
Falx parcit, mutili deformatique supersunt,
Peste pari læsos se non cecidisse dolentes.
Sævit ubique lues, Phineis insilit urbes
Unguibus et viduat, proles expirat amata,
Seque optat sterilem, suaque arguit ubera mater;
Alter ad alterius succumbit funera conjux;
Quod si forte thori sociis Libitina pepercit,
Invida, in ore decus quod erat, divulsit Aëllo;
Quæ priùs ipsa Venus, formis spoliata venustis
Sponsa dolet, sponsum dolor opprimit unus utrumque;
Languida stat myrtus, thalamosque cupressus obumbrat.
Nobilius quô gaudet opus Cytheræa revelli
Indignata videt, videt indignata gemitque.
Sic polluta decus Paphium, sceptrumque jacebant.
Heu! præmaturæ tu mortis origo, venenum,

Suffocare ausum celebris primordia vitæ,
In teneras quoties vomuisti toxica cunas?
Ah! quot ibi heroes cecidêre sophique futuri!
Ah! passis quam sæpe comis, per muta sepulchra,
Pierides, lamentatæ revocastis inani
Voce tot abreptos, nostræ qui gloria latè
Luxissent patriæ, dederant si prospera longos
Fata vidêre dies! Vondelius, Hoftius, unà
Catsius atque Rubens et Dyckius, Heinsius (urbs quem
Nostra dedit), frater noster Romanus, Erasmus,
Lipsius et Clusius, Dodonæus, Grotius (orbis
Lux), Vesalus, cum Palfino Boerhavius, omnes (6)
Sæpe revixissent, voto concorde vocati.
Sub specie reduces aliâ fas esset eosdem
Conspectare viros, fastisque referre novatis,
Ore venenoso si non grassata fuisset,
Perculsum volvens tot corpora Erinnys ad orcum.
Orbi summa quidem dona elargiris, Olympe,
Egregios qui das genios assurgere ad illum,
Quid tamen hæc? tantos pariant si dona dolores,
Si feriat (crescebat ubi pretiosa Camænis
Spes, et laus sublimis erat ventura Minervæ)
Laurorum ignaram falx præmatura juventam.
Sic tu, Parca, furis, sic forfice sæva futuras

Discindis palmas, optataque stamina rumpis?

Sæcula dum labes per multa afflixerat orbem,
Almus eò tandem respexit cœlicolûm rex,
Et rediit cœlo solans Aurora recluso.
Numina nulla Jovem poterant lenire severum,
Sed solitâ rursùs fiet bonitate serenus,
Utque superna magis pateat clementia mundo,
Mortali sua jussa dedit complenda ministro:
En vir adest, lætemur, adest demissus ad orbem,
Arte suâ anguicomas dabit hic frenare sorores....
Berkleios (7) magicâ quasi voce vocatus ad hortos
Auscultat supplex, ad vota suprema paratus,
Innubique repente vehuntur ab æthere dicta:
Huc propera, dilecte, tibi sua munia divi
Concredunt, genus humanum de peste patronus
Tu Stygiâ redimes, lumen cœleste super te
Funditur, en radiat! superûm mandata facesse.....
Blanda potensque viri firmat commotio pectus,
Naturam explorat, pecudumque impendet in artus;
Doctrinâ, genioque valens, ductusque superno
Auspice Jennerus, mysteria multa profanis,
Abdita dum penetrat, Zephyri quasi flamine *nata*
Vacca stat, (hanc vaccam numen monstrabat amicum),
Nec pecude à sacrâ divertit lumina solers;

Impiger oppositâ, labor est, vi vincere virus,
Virus atrox, cui non crevit medicamen in arvis,
In quod nulla fatetur habêre Epidaurius (8) arma.
Diva sopho dum fax lucet, summa ubera lustrat,
Humoremque prehendit ibi (9), virtute benignâ
Quem pollere sagax novit; festinus ovansque
Hanc dabo, dixit, *opem, miseris hæc esto medela.*
Sic ait, et tabum quod in ubere pullulat almum
Extrahit, humanis hoc artubus inserit audax,
Terribilemque levi propulsat vulnere pestem.
Accurrunt nymphæ, Charitûm chorus advolat omnis;
Quæque salutifero signari brachia gaudet
Omine, Jennero certatim candida tendunt
Brachia, signatis numen subridet amœnum.
Sic labem exhaurit vir acutus et ejicit, unde
Exitiale citò fugit impos ab orbe venenum,
Seque fremit domitam Libitina furens et inermis;
Inveterata lues sanie spoliata rebelli
Interit, ad vocem Jenneri libera spirant
Pectora (Dîs placuit), de funere vita triumphat!
Attamen immitis perstat lex omnibus una,
Et fati toties qui victor, victus et ipse
Occidit, ah! subiit vir ineluctabile fatum,
Quemque Dii tribuêre, dias revolavit ad arces,

Flebilis in terra, cœli nunc fulgidus hospes! (10)
Victrices inter palmas, tristesque cupressos,
Urnam amplexantur genii nymphæque dolentes.

Te Cytheræa colit fidum, Jennere, patronum,
Te Charites Nymphæque canunt, et frontis honores
Servatos, roseasque genas, oculosque nitentes,
Munera tanta tibi sese debêre fatentur.

Vos, Pyrenorum quos culmina scandere jussit (11)
Sequana, et afflictis afferre juvamen Iberis,
Arte animoque acres, Jennero ferte trophæa,
Queis licet et meritò vestras sociare coronas;
Nam gavisa neces, interque cadavera saltans,
Freno dum fureret nullo cohibenda Megæra,
Flaventemque atro vomitaret gutture pestem (12),
Barcino vos furiæ domitores grata videbat;
Illiûs ignitos generosè incurrere flatus,
Moxque salutiferas ægris protendere palmas
Cura flagrat, nec victa metu, nec fracta labore,
Postque erepta truci miserorum millia letho,
Unanimi trinos plausu vos terra salutat!

Hìc aderis; nec te, Doctor memorande, silebo, (13)
Qui summis evexisti conatibus artem,
Ob tot servatos dudùm servaberis, et tu

Jennerus nostrâ qui diceris *alter* in urbe,
Cœlesti vives *Jennerus* et *alter* in aulâ.

Exìn amœna fluent et sæcla salubria, nunquam
Blandior e cœlis arrisit Jupiter orbi,
Nunquam sat grandi celebravero carmine donum,
Cui tamen insultans vis usque inimica resistit (14),
Erroresque serit nocuos per vulgus ineptum,
Invento stolidis celebri clamoribus obstans.
Obdurata diù quæ cæcat opinio mentes,
Falsa tenêre, oculos odiosæ claudere luci
Cogit, et ingenium caligine condit in atrâ.
Credulitate potens stupidâ sic perfidus error
E cœlis ad nos missam conspirat in artem;
Altus ubi dat adire pater penetralia rerum,
Sæpe sub invidiæ moriuntur edacibus armis,
Cum spe laus et honos insomni parta labore;
Intereà ad pallens cadit hostia plurima regnum;
Haud secùs invitis Dìs, delusoque colono,
Arescitque caditque seges, parasitica circùm
Gramina si serpunt, rapiuntque voracia succos,
Provida quos Cybele sitibundis fuderat arvis;
Siccine in humanis ludis, sors improba, rebus!
Vivida sed flammat veri per corda Cupido,
Victrici cedunt mendacia denique luci.

Non aliter Phœbus fulgente sub axe procellas
Findit, et emergens atro de turbine victor,
Lucis in Oceano, radiis sua tempora cinctus
Regnat, vivificos jaculatus alacrior ignes.
Tu quoque victor eris; pulsis, Jennere, tenebris,
Fax tua venturo splendebit clarior ævo.
Duratura tibi semper monumenta per omnes
Assurgent populos, genio quæ fama sacrabit
Prompta tuo; celsis tua laus insculpta columnis
Prostabit, marmorque futuro fabitur ævo:
Hœc immortali genio gratus dicat orbis!

Nata Jovis patri sua vota precesque supremo
Fuderat, et luctu prostrata orabat acerbo,
Empyreas iterùm obtestata iterùmque phalanges,
Cernere propitio nunc tandem lumine terram,
Humanoque tetrum de sanguine vellere virus;
Sed genitæ surdus genitor non annuit; at tu
Mortales inter, Jennere, vocatus es unus,
Dignus ut in terris cœli statuare minister;
Ad tua vota Deus facilis cœleste dat ultrò
Munus, in excelsis te sedibus esse patronum
Decrevit nostrum; sedes ibi quanta paratur
A Jove, qui tantos jamnunc tibi sancit honores!

Terra decus rarum genuisse Britannica jactat,

Te licet hæc habeat, cœli demissus Olympi es,
Et plaga quæque suum titulo te vindicat æquo.

Nostra diù doluit tellus, sed læta resurgit,
Namque jacet, lethæa jacet nunc eruta labes;
Hinc nova progenies formosa vigebit et ingens,
Ut Leo defendet nostros generosa Leones,
Nassovii reges, spem firmam ponite in illâ,
Quippe throni crescet columen, stabitque tremendum.

Ingens quo fruimur donum referamus Olympo,
Floribus et festo fragrent altaria thure;
Cum cœlo socios, Wilhelme, merêris honores,
Quasque illi grates, tibi corde vovemus eodem;
Caræ namque tuæ quodcumque sit utile genti,
Pervigil inquiris, largusque foves et honoras (15);
Sic varios volupe est mentis progignere fætus!
Nassovium cum Marte Minervaque Apolloque sceptrum
Aspectant, et sæcla jubent fluere aurea regno;
Qualiacumque roges, accedent numina votis,
Et te dum sanctâ statuêre sub ægide magnum,
Assero, prosper eris, Rex, prosperitate tuorum.

Canebat Gandæ die 18ª Octobris 1823,
J.-B.-G. CAMBERLYN-D'AMOUGIES, EQUES,
ordini Flandriæ orientalis equestri
et legioni honorariæ adscriptus.

NOTES.

(1) La crainte et la douleur élevèrent les premiers autels.

(2) La Déesse de la santé.

(3) Les Maures sortis des déserts de la Lybie; leur religion était le Mahométisme, secte fanatique et cruelle. La maladie dont la vaccine pourra détruire le germe, par l'absence du miasme qu'elle exhale, fut apportée par les Arabes chez les Maures Africains, qui en infestèrent la Sardaigne, la Sicile et l'Espagne, d'où Gonsalve de Cordoue, surnommé le grand-capitaine, chassa ces peuples sous le règne de Ferdinand-le-Catholique, mais l'Europe demeura victime de leur invasion en restant en proie à cette contagion meurtrière.

(4) Mahomet, l'apôtre des Maures; il établit sa religion par le fer et le feu.

(5) Le contagieux embrasement de cette maladie.

(6) Heinsius, littérateur, historien, politique et savant antiquaire, naquit à Gand, en 1582.

François Romain, dit le frère Romain, célèbre architecte, inspecteur des ponts et chaussées dans la généralité de Paris, sous le Roi Louis XIV, naquit à Gand, en 1646.

On voit, dans l'histoire métallique de la Hollande, une médaille où Grotius est appelé : *La lumière qui éclaire le monde.*

(7) The Tusculanean retreat of Berkeley.

C'est ainsi que Jenner lui-même indique ses jardins.

(8) Esculape.

(9) La découverte du vaccin et la vaccination.

(10) La mort de Jenner.

(11) Le magnanime dévouement des médecins français à Barcelone ; les Pariset, les Bailly et les Maset peuvent associer leur gloire à celle de Jenner.

(12) La fièvre jaune.

(13) M. le docteur Demanet à Gand, qui, par son zèle et ses lumières, contribua si puissamment aux progrès de la vaccine. Il a mérité le glorieux surnom de *Jenner de Gand.*

(14) Les ennemis de l'admirable découverte, la prévention et les préjugés qui nuisent à ses progrès.

(15) Les encouragemens et les récompenses que notre bon Roi accorde pour la propagation de la vaccine.